


...tious
...Oratt.
...Alinas
...Alin
...micus
...Qua
...mes.

AB
53653





4

Quaestiones
QVODLIBETICAE
TRES.
I. DE
TOGA ET SAGO
SIVE
DE LITTERATA ET AR-
MATA MILITIA.

II.
DISSERTATIO.

*An equum id Brabantinorum priuilegium, siue sta-
tutum, quo muneris publici habetur incapax
quisquis extra eam natus?*

III.

*Qua commodior faciliorq; ad conuincendos secta-
rios nostros via, an non ea, qua proprio quis eos
gladio iugulet, quoties vel ad Scripturam sacram,
vel ad Patres, lingua sq; concurrunt?*


HABITAE LOVANI

In Quaestionibus, ut vocant, Quodlibeticis, XVII. Kal.
Ianuarias, CL. LXXVIII. in Scholis
Artium,

à VALERIO ANDREA, Desselio, Iureconsulto,
Linguae Hebrae Professore publico.



COLONIAE, AGRIPPINAE,
Apud Ioannem Kinckium, sub
Monocerote. Anno M. DC. XVIII.



AMPL^{mo} ET CL^{mo} VIRO,
D. GERARDO CORSELIO,
EX I. V. DOCTORE LOVANIENSI
ET ANTECESSORE PRIMO,
MAGNI CONCILII BELGICI
MACHLINIAE SENATORI,
CANONICO IN D. VIRGINIS
TORNACI &c. PATRONO ET
amico meo D. C. Q.





PROPOSITIO QV AE-
stionum.

I.

QVÆ DIGNIOR POTIOR-
QVE SIT MILITIA,
ARMATA an LITTERATA; & an
TOGAE & SAGI commercium
aliquod?



ECVM hic pugnantes video,
duo vrbis lumina; Romanæ
M. TVL. Belgici IVSTVM.
LIPSIVM. Nunc Sago Too-
gam, id est armis litteras
praferunt; nunc Togæ Sagū,
arma litteris, stylum gladio, tela legibus: an non
foro vsus hic vterque? Ita quidem videatur. Apud
Sulpitium enim atque in foro, vbi virtutem Mu-
rena bellicam, bellumq, cum Mithridate gestum
Cicero pradicat, Togam deprimit; apud Anton.

Card. Granuellanum, vbi Sagum & Togam
componit Lipsius; hanc extollit, & pra Sago lau-
dat. Alibi non semel ingeminat Tullius:

Cedant arma togæ, concedat laurea lin-
guæ

Cicer.
Orat. pro
Murena,
& i. offi-
dior
Lips. Præ-
fat. Var.
Lect.

4 2 - - - In

26



Lib. 5. Po.
lit. c. 2.

Cic. 1. ofo
fic.

Cic. de
Senect.

In Politicis Lipsius, extra affectum omnem, pronuntiat forensam laudem omnem, industriamq; latere in presidio ac tutela bellica virtutis. Pro Toga ergo, ac litterata militia est, quod gloria hic non minor, quam qua bello patra. Magna quidem ea in magnis illis animis Alexandro, Xerxe, Pompeio, Casare: nec alibi forte illustrior, quam in viris bello illustribus. A nec urbana illa, ut dixi, minor est. Themistoclem quidem clarum fecit Salamis, clarissima testis victoria; sed nec Solonem minus celebrem ac clarum leges ab eo prudenter latae. Pausaniâ ac Lysandro ducibus, Lacedaemoniorum dilatatum est imperium; Lycurgi vero legibus ac disciplinâ stabilitum. Quod armis saepe negatum, id consilio, prudentia, legibus; breuiter id toga non semel concessum. Ita consilijs diligentia, atque prudentia sua de manibus audacissimorum ciuium excussa ac delapsa arma gloriatur, apud M. Filium, Cicero. In summa, à legibus & disciplinâ illâ urbanâ paratiores etiam ac fortiores exercitus Roma habuit. Plures inibi reperti, qui cum bella ipsi non gererent, quae gerenda tamen essent, domi militiaq; praescriberent, & quomodo gerenda multo ante denuntiarent. quos inter M. Cato Censorius, miles, Legatus, Consul: cuius etiam mortui in bello valuit auctoritas. Hoc enim & prudentis est ductus, & fortis militis, ne temere & inconsulto quid tentet, aut praeceptis in hostem bellumq; bellua instar ruat: domi primum exercitum ducat; ubi castra locanda sine
sint;

QVAESTIONVM.

sciat; quae loca praesidijs munienda. At qui istud etiam viri rogati in otio negotium est.

Sequitur ergo gloriam illam, quam miles bello consequitur, non tam Sago quam Toga adscribendam. Vt illud etiam addam, belli gloria, mox ubi parata est, perituram; nisi litteratus sit, quibus Libitina eam eripiat, & vetet mori.

Pro Sago tamen ac bello multa sunt, quae edtrahant, tot heroes bello clari, tot Alexandri, Pompeij Camilli. tot triumphi, ovationes, corona, statuae, pyramides, belisci: quae omnia si cum togatis atque umbraticis illis conferas, quid nisi lucem ipsam, ut ita dicam, umbra contuleris? At quot luci cum umbra commercium? Gloria etiam hic maior, vitae gloriosior. Si dicas, litterarum eam adminiculis per orbem sparsam, atque ad posterios transmissam: Non abnuo. An ergo maior gloria eius, qui facinus heroicum describit, quam qui patrat, qui bellum suadet aut dissuadet, quam qui lacertos mouet, & foeliciter pugnat? Lepide belli quidam dux (libet enim & hoc addere) interrogatus, Vtrum Achilles an Homerus esse mallet, respondisse fertur; Et tu mihi dicas bone vir, vtrum buccinatorem, an belli Imperatorem potius agere expetas! Hac de gloria tantum nunc delibo, de qua inter Togam ac Sagum nec dum conuenit. Alia sunt, quae viriusque dignitatem utilitatemque suadeant: ex quibus adhuc illud indecisum, Vtrum

Cedant arma toge, cedat vel legibus arma.

A 3

II. QVAE-

II. Quæstio, sine argumentis, ve
vocant.

II. *An æquum id Brabantorum Statutum
sive Priuilegium, quo muneris publici ha-
betur incapax, quisquis extra eam na-
tus?*

III. Quæstio, sine argumentis.

III. *Quæ Commodior faciliorq; ad con-
uincendos sectarios nostros via? Videri
eam, vt proprio eos quoad eius fieri potest
iugulemus gladio, quoties vel ad scriptu-
ram sacram, vel ad Patres, linguasq;
confugiant.*



DISSER-



DISSERTATIO I.
DE
TOGA ET SAGO:

QUAE DIGNIOR POTIOR-
que sit militia, Armata an Litterata, & an
Toga, ac Sagi commercium
aliquod?



MACROBIUS, Saturnalio-
rum scriptorem, atq; idem
Noctium Atticarum simius,
vbi de Saturnaliorum ori-
gine atque verustate sermo-
nem instituit, sic loquentem Vectium indu-
cit: Nos verò, vt & honorem sacris ferijs habe-
remus, & vitarem tamen torporem feriandi,
atque otium in negotium vtile verteremus, con-
uenimus, diem totum doctis fabulis, velut ex
Symbolo conferendis, daturi. Ita ibi ille: & mox
originem cultus, qui pendi Saturno tum lo-
let, causamque festi aperit; quo inter alia,
etiam illud obseruatum, vt à tenuioribus ce-
reos ac dona ditiores arriperent, non ob
aliud, inquit Macrobius, quàm quod Satur-
no principe ab incomi & tenebrosa vita,
quasi ad lucem & bonarum artium scientiã
editi atq; educti simus. Solemne id Saturni
festum



festum ad quartumdecimum Kalend. Ianuarias (ea verior certiorque opinio est) die primū vno, pluribus dein, mox septē, à seruis ac dominis peragi solitum. Illi tunc domini, hi serui, iisdem nimirum seminibus orti, sola conditione impares, cetera pares. Quorsum ista Auditores? Saturnalia etiam nostra sunt: an non à veterum, ritu & cultu? Non inquirō. Dicendi nunc quædam concessa nobis libertas, intra Honesti tamen metas; quas excedere nefas. Musis facer hic locus *ἀμύγανος* non capit: cedere tales ego iubeo, atque his ex esse sacris.

Age ergo, & libertate Decembri

Quando ita maiores voluerunt, nobis quoque liceat vti. Anniuersario die ac ritu Saturnales hosce dies de more agimus, & de quolibet (hinc barbarū Quodlibeticis nomen) differere ex hoc loco fas. Ad studia ergo seria hortor? non id feriæ istæ permiserint: ne hic opponat quispiam, quod misso ad exercitum A. Plautij Narcisso, Claudij Cæs. liberto Plautij reposuit miles: ascenso enim ducis tribunali, ad militem verba facturus, ab indignabundo mox tritum illud audiit.

IO SATVRNALIA,

Non tamen absque fructu Dissertationes hæ

hæ institutæ. Audit hic Theologus, quæ
 fessum studijs animum recreent, infirmum
 que istis velut pharmacis confirment.
 Philologus doctior hinc lætiorque abit,
 & his velut delitijs atque ornamentis Mu-
 sas afficit. Hic quoque Philosophus rep-
 perit, quod profit. Haurit Iurisconsul-
 tus, quæ ad Rempubl. benè beateque
 administrandam vtilia sint: cùm quæ
 περί τῆ πολιείας dicistantum gratia pro-
 poni aliàs aut alibi πολιεύματα solent,
 dici hic ament, & audiri ab ijs, qui sa-
 nam mentem amant, seque armatum
 eunt principe hac, quam πολιτικὴν vocant,
 scientia; vt domi militiæque; publicè priua-
 timque; dein profint.

Ex hac itaque impræsentiarum libanda
 quædam, quæ non longè tamen à stu-
 dijs vestris atque Academico hoc pulvere
 abeant, pretium operæ censui. Disse-
 ram de Toga ac Sago, pacis ac belli in-
 signibus; Sagram Toga, an Toga Sago pri-
 mas concedat, siue, An plus Republicæ Ar-
 ma, an Litteræ conferant. At erit forte
 tean, qui mox insulurret:

Quam quisque novit artem, in hac se exerci-
 ceat: aut quod Ptolemæo Regi de ci-
 thara differenti, fortè non regiè, repo-
 suit Stratonicus citharoedus, ἕταρον ἐστίν, At bene
 ὁ βασιλεῦ, σκήπτρον ἕταρον ὃ πλάκτον: lib. 8.

A 5

Alia

Alia ergò excutienda quercus erat. Fateor: Nec is ego, qui hæc inter tantas possim componere lites. In magnis tamen etiam voluisse fat est. Quæ verò maior, dignior, utiliorque institui potest quæstio, quàm à qua Reip. pendet status. His nervis corpus id compactum est; his vinculis rerum constat universitas: his fulcris regnorum & civitatum incumbit salus: prudentia consilioque domi; foris virtute ac fortitudine. Quod si ita est, erit alius, qui frustra à me sic queri id opinetur, cui primas in Republica de partes, *Armis an Litteris*, in honore pari. Ne tamen expectationem vestram fallam, dicam primò, quid *Toga*, quid *Sagum*, quæ Togata ac Sagata militia, quæ dignitas, utilitas, necessitas utriusque, quis in Repub. nexus ac vinculum esse debeat. Id demum ostendam, tametsi in pari laude utraque videatur, *Togam* tamen *Sago* potiozem, hoc est, vitam civilem militari præstare, nec hanc sine illa, aut sine hac illam stare diu posse. Digna auditorio isto atque confesso, vestrisque auribus *Dissertatio* erit; iucunda etiam futura, si benevolas detis ac patientes differenti aures.

Atque ut inde initium faciam; *Togæ*, vesti Romanorum propriæ, à *Tegendo* nomen: amictus tunicæ superiniectus. Aperta ea fuerit, an à summo ad imum integra,
Non

non liquet. Varia fuit, ac coloris varij. Nascente imperio albens erat: nec à colore isto inter ciues discrimen. Laxior, candidiorque illis, quibus res lauta; astrictior pallidiorque, quibus res angusta domi. Quæque initio ciuium omnium erat, labentibus armis, ac denascente imperio, paucorum cœpit esse; & apud solos ferè senatores equitesque vltus eius mansit; ac ne apud Equites quidem, si Appiano fides. Pacis insignis fuit ac signum; à Romanis in vrbe sumpta, vbi à bello militiaque pacati essent ciuium militumque animi; hostium fracti. Hinc *Togati*, *gens togata*, pro Romanis, rerum Dominis. & quod propius huc facit, *Togati* dicti *Aduocati*, qui Reip. ciuiumque commodis studerent. l. nemo 15. C. de episc. audient. l. nec quis 3. l. quicquid 5. l. si quis 9. C. de aduocat. diuers. iud. Et *Toga* pro togatis, siue aduocatis, l. ijdem de rit. Ab eodem fonte est *Togata militia*, *litterata militia*, l. proximos d. C. de proximis sacrorum serm. lib. 12. *Vrbana militia*, Ciceroni pro Muræna. *Alia armata militia*, l. vnica C. negotiatores ne militent lib. 12. & li. 1. de iuris & facti ignor. Hæc *Sagum* habet, (ἑσθῆτα σπαρταλὰν Græci nominant) belli insigne, amictum armis militum humerisque superinectum. Vox Gallica Straboni: Germanis hodie *Silsmantel*.

Aldus

Manut.

de qua sitis

per epist.

lib. 2. ep. 1.

Lib. 1.

Lips. 1.

Elect. 6. 13

De hoc & illa nunc dicam ; de Pacis otio,
 Belli negotio; de Pacis alumno, Martis pul-
 lo. Vtri prior potiorque debeat honor,
 ex facili definire nō ausim. Summa in vtro-
 que, vt dixi, dignitas & gloria: summa vtrius-
 que domi forisque necessitas. Vtrumque
 suo quasi complexu ac sinu foueat necesse
 est Respubl. omnis, legibus fundata, armis
 propugnata, vtrisque propagata: adeo vt
 vtroque tempore & belli & pacis togatum
 armatumque ciuem habeat: illum legi-
 bus armatum, hunc armis decoratum; illum
 pro ciuium salute vigilantem, hunc aduer-
 sus hostilem ciuilemque metum, motum-
 que excubantem. Hi sunt

*Sulpitia
 etud Au-
 sonium.*

*Quibus extulit ingens
 Roma caput.*

His ad cœlum gradibus affectauit viã.
 Stetit Roma, dum togatum Domi ciuem
 habuit, qui iura, iudicia, vectigalia, census,
 ærarium, cæteraque forensia in otio nego-
 tia administraret. Stetit Roma, dum
 foris ciuem habuit, qui arma gereret, ca-
 stra, classes, arces constitueret, imperij
 fines proferret atque tueretur. Vter illu-
 strior? Intricata hæc Quæstio est, variò
 vexata, & tractata à varijs, nec adhuc extri-
 cata.

*Lib. I. of- Ipse etiam Tullius, Romanæ parens elo-
 quæ-*

quentia, & Philolophia, quâ politicen fic. & pto
 spectat, inter Romanos facile princeps, MURENA.
 hic sibi parum constitit; foro, ut apparet,
 vsus. An ergo cedent arma togæ, laurea
 linguæ, curia castris, tela legibus? Non-
 dum definitio. An verò armis toga, laurea
 lingua, curiæ castra, telis leges? Ita
 quidem magno LIPSIUS visum. Diribi Lib. 5.
 tor ego, sententias colligam: an verò politic. 2.
 æquus futurus iudex, indicij vestri fa-
 cio. A Milite ergo Militiæque, dum te-
 lam istam ordiar, illud Retinctis, ma-
 lesano hominum generi, relinquo, iustane
 bella sint ac licita; qui sciam bellum omne
 rectè suscipi, vel de rebus repetendis, vel
 iniurijs propulsandis. Hoc enim & ratio Isid. li. 17.
 doctis, & necessitas barbaris, & ius genti ca. 1.
 bus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem cic. pro
 semper vim, quacumque ope possent à cor- milone.
 pore, à capite, à vita sua, propulsarent, Sallust. in
 ut patriam, parentesque armis tege- Caril.
 rent.

Prima ergo Militis Militiæque ab SAGIO
 Antiquitate laus sit. Bellum Pace anti- Militie
 quius esse constat. Bello opus fuit, ut commen-
 Pacis floreret opus, paratumque impe- datio.
 rium esset. Belli ergo finis Pax est; atque
 ita Togata militia Armata posterior.
 Positis

Gen. 10.

Positis armis inuentæ demùm Leges, constituti qui easdem ferrent, ius dicerent, lites dirimerent; quod pacis opus est. Pro Belli quoque antiquitate sacrarum tabularum est auctoritas: ex quibus Nimroht Chusi filium gentes primò subegisse, armorumque introduxisse vsum discimus.

Eic. pro
Mwena.

Alterum à Dignitate ac Necessitate Belli præconium est. Armis enim quæruntur imperia; iisdem ceu freno quodam retinentur, armis regni proferuntur pomœria. Armis defenditur patria, (pro qua etiam mori dulce ac gloriosum) propulsatur hostis. Quid multis? In armato Martis militisq; sinu serenus tranquillisque beatæ ac serenæ Pacis status conquiescit. Urbanę res omnes, Leges, studiaque latent in tutela ac præsidio bellicæ virtutis.

Iam verò quæ pronior faciliorque ad gloriam via est, quàm hæc militaris? Quæ gloria maior etiam illustriorque, quàm quæ bello & armis parata? Hæc Magnum Alexandrum fecit, formidabilem Romanis Hannibalem. Hæc populo Romano nomen, hæc gloriam vibi peperit sempiternam. Solas Romanorum memorias, si lubet, euoluite, quot apud eos Camilli, Curij, Scipiones, Paulli, Fabij, Marcelli, Marij, Cæsares, Pompeij; pauci Scæuulæ, Catones, Cicerones; quorum etiam bona pars à concitata plebe
iudicio

iudicio exsilioque damnata; ignominijs, insidijsque petita. Ista meritis scilicet gratia, statua, triumphusque paratus est. Nimirum non melius quandoque dignitatis ac virtutis iudex est populus, cum pro mercede peram, pro laude ignominiam, pro gratia indignationem reponit.

Milite vero re bene feliciterque gesta, quot paratae laurae, ouationes, triumphus? Hic ciuicam necit, hic obsidionalem capti aptat. Statuae pyramidelque partae gloriae victoriaeque paratae.

Ad famam ergo & immortalitatem aspiras? Bello inclaresce: fama bello parata mori nescit. Vt e plebe assurgas, virtutem appetes, illam bellicam ac militarem, & quae Aeternitatis, ut ita dicam, Genium quendam habeat. Bello primum orta est ac parata Nobilitas, rebusque praeciae gestis Illustrior facta. Bello ducum, Marchionum, Comitum, Baronum inuenti tituli & honores. Bello laus familiae, memoria generi, gloria nomini constituta est. Belli artibus *Maximi* nomen inuenit Fabius, *Magni Pompeius*, *Capitolini Manlius*, *Africani & Asiatici Scipiones*, *Macedonici L. Aemilius Paulus*, *Achaici L. Mummius*, *Torquati T. Manlio* dedit torques Gallo detractatus. Denique, ut compendio dicam, quot in vno Iustiniano tituli, tota victoriae, & lauri. Alemannos non

sine

sine gloriæ splendore contriuit § 60. Gothos, Narsete duce profligauit, Francos, qui nunc Hali, vicit: Antas, Histri fluminis accolas, Childibio duce, repulit: Alanos ac Vandalos ex Africa pepulit; & hinc *Alemannici, Gotthici, Francici, Antici, Alanici, Vandalici, Africani* titulos, ac triumphatoris nomen meruit. Ista miratur orbis, quæ in orbe patrauit Roma, orbis domina, digna etiam reperta, in qua imperij sedem mars poneret; quàm rerum præclare gestarum theatrum iure dixeris, armis structum, armis etiam ad istud Honoris fastigium deductum. Magna hæc rei militaris laus est. Quid? Iuuentus ipsa, an non ad tympanæ sonum, tubæ clangorem, tormentorum tonitru, illico læta, laudis & gloriæ cupida, profilit? Quid ergo Militia aliud, quàm quoddam Naturæ donum, Iuuentutis animis à primis etiam annis inditum?

Præceps quidem illa, inconsulta, effera, esse solet; & dum ad bellum conuolat, bellæ instar in hostem sæpè ruit, sibi quisque dux & instigator. At verò, si ducem habeat, quem sequatur, tum pulcra quædam ac gloriola ducis militisque æmulatio solet existere. Ille animos sibi facit; hic à duce sumit. Neque enim cum ratione insanire mihi hic libet aut licet, vt rei militaris artem esse aliam quam ac rationem negem. Negare id quidam
ausi;

ausi virtute vna contenti: qui manu cuncta ac multitudine ponderant. Virtutem in milite laudo, Disciplinam in militia etiam agnosco, artis regulis præceptisque conclusam, natura, usu & exercitatione cæptam perfectamque: cùm si a præceptis atque usu abieris, si aut hostem aut castra non videris, nec bonum Resp. ciuem dabit, nec militem castra. Usus absque præceptis abusus est; ratio absque usu manca, & ad audendum ac cõsultandum cæca. Sed his missis (militem enim militiamque laudo, non instruo,) reliqua, quæ pro Sago dici possunt, inspiciamus. Λογέμυρος non ero; nec talis etiam miles noster. Rem amat, non verba; ferro pugnat non voce; manu non lingua: neque enim illi ventosa in lingua maior est. Togatus solâ togâ munitus, cætera inermis, voce, verbis, linguâ velitatur, non pugnat: post principia hæret cum rorarijs, nec in arcem conflictumque cum hastatis atque triarijs proferre ac conferre pedem audet. At quid *Togam* ac *Sagum* in contentionem voco; cùm dissimillima vtriusque sit ratio, *Sagi* verò dignitas longè etiam amplissima. Urbana illa & umbratilis militia, respondendi, scribendi, canendi (ita eam Princeps vocat Orator. *Pro Mure-* rum Cicero) plena sollicitudinis est ac sto-
machi.

Qui ius ciuile discit, multum vigilet,
B præsto.

præsto multis sit, multorum stultitiam patiatur, arrogantiam perferat, ad aliorum arbitrium non ad suum viuat necesse est. Popularis quidem ea laus est, & hominibus grata, vnum prodesse multis. Quid verò miles? (libet enim componere vtrumque, velut quoddam gladiatorum par) an inglorius ille, aut ingloria Militia? Minimè. Ille linguam vendit, multorum cauillationibus peritiam. hic vitam minus caram, ac patriam habet. Vigilat togatus de nocte (Tullij togatorum doctissimi verba iterum libens vsurpo) vt conuultoribus suis respondeat: vigilat de nocte miles, vt quò intendit, maturè cum exercitu perueniat; illum gallorum, hunc buccinarum cantus exsulcitat; ille aetionem instituit, hic arcem instruit; ille cauet, ne sui consultores, hic ne vrbes aut castra capiantur; ille tonet & scit, vt aquæ pluuiæ, hic vt hostium copiæ arceantur; ille in regendis finibus exercitatus est, hic in propagandis: ille infinitas ac subtiles juris formulas, cautelarum gryphos, exceptionum comperendinationes, atque id genus mille subterfugiorum modos & technas habet, & his velut nundinationibus linguam vendit, perdit patriam. Non nouit ista miles. In bello subtilis est, in pugna cautus, subterfugia non quærit, sed aperto Marte hostem aggreditur. Neque vbi ad manus ventum,

excep

exceptioni vlli aut comperendinationi tum
locus.

Tollitur è medio sapientia: vigeritur res, Ennius
Spernitur Orator bonus: horridus miles armatur. apud Cic.
Non ex iure manu confertum, sed magis ferro pro Mur.
Rem experunt.

Quod si ita est, cedat forum castris, otium Cic. ibid.
militia, stylus gladio, umbra soli.

Atque hæc quidem pro Militia ac Sago. **TOGA**
Nunc pro Toga ac Togato milite quid dici propugna-
possit, videamus. tio.

Elegans diuini Platonis effatum est, cœ- Lib. 4 de
lestium motuum & orbium Legibus con- Legibus.
vinci animos, vt conditum ab æterna aliqua
mente fateantur mundum, & ad cœlestis il-
lius harmoniæ atque Oeconomix ordinem
inferiora hæc composita: Naturæ verò hu-
manæ prauitate, cœpta mox misceri ac con-
fundi singula, agitari sursum deorsum, incer-
to quodam casu ferè omnia.

Incertum, quò pondus istud vergeret.
Excitasse itaque Deum excelsi atque heroici
animi viros, qui ἀταξίαν illam, atque ordi-
nem inordinatum tollerent, suam terris œ-
conomiam redderent, certo omnia consilio
regerent: inuentas leges, Reipubl. omnis, at-
que ad eò huius, quod videmus, vniuersi
neruos. Heroes illi, velut quidam in terris
dij. Reipubl. Optimates sunt & moderato-
res, qui consilio, auctoritate, prudentiâ pro-

B a desse



desse student omnibus, nocere nemini, qui
 ciuitatum iura, instituta, leges administrant,
 qui studia omnia, industriamque diligunt
 ad vtilitatem defensionemque patriæ, qui
 in partem omnem noctu diuque excubant,
 futura prospiciunt, ad præterita respiciunt:
 vt verbo dicam patriæ Patres, Togæ ac Pacis
 administri, Legum Mystæ, veræ Philoso-
 phiæ sacerdotes. Hos nunc milites cataphra-
 cto equiti, armisque oppono, mox etiam,
 vbi in aciem ac lucem deduxero, antepo-
 nam. Non hic disputo de Litterarum (ea
 militis nostri arma sunt) Antiquitate. Omit-
 to, quæ de Legum (earum miles noster ad-
 minister) Auctoritate dicta sunt alijs. Natæ
 Leges cum orbe nato, adeoque frustra hic
 Antiquitatem iactat miles, quasi à bello Le-
 gum origo sit, & non potius à Legibus ori-
 ginem suam bellum habeat. Legibus prius
 munire urbem, quam moribus Romulus
 voluit: his fulcris atque his fama mentis nõ
 secus, quam Atlante cœlum, salutem publi-
 cam atque incolumitatem niti, sine quibus
 nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec ipse
 se stare diu mundus, potest. Vt sine anima
 corpus, ita sine Legibus ciuitas: ijs destituta,
 sine neruis & sanguine erit. Neruis verò ac
 sanguine cum robur virtutisque omnis con-
 stet, quid sine his nisi inane nomē miles erit?
 Ergo à legibus etiã miles habebit, quod for-

Cic. 3. de
 Legib.

tis

eis ac robustus, quod agilis ac prouidus, cum sola moles militem non faciat. Quanto ergo leges armis præstant, vi ratio, bello pax, tanto præstantius ac laudabilius pace, quam bello clarum fieri, Togam quam Sago: cum militia *Lib 1. de militari* ipso etiam nomine malum sit, & malum in- *testam.* ferat, non propulset; cum mollis sæpè miles, desidiosus etiã ac perditus, tamen æstatè hiemèq; iuxta ferre necesse sit. Ut id addam, quam inquieta, ac laboriosa militum vita, ingloria etiã, & quæ incerta aliàs, hic incertior multo, ac tenui pendens filo. Pugnans, oppugnantur; vincunt, vincuntur.

Ἰνὸς ἐννείλιου καὶ τοῦ κλεινοῦ κατέκτα.

Inq; vicem mars communis perimit perimentè.

Vbi ad arma arma sonat tuba, vbi aures tormentorum ferit strepitus, vbi pedi pes, mucro mucroni hæret, quid tunc esse animi credes molli ac meticuloso militi, imò strenuo ac magnanimo cui libet?

Nulla salus bello, Pacem te poscimus omnes.

Dispar militis nostri vita est, in Toga tuta, quieta in pace: gloria maior dulciorq; , quia domi parata quæ tuis mars sæuissime minis exorta. Iniecit hic manum miles, & pro se causam dicit. Bellum nobiles facit, & clarum illud familiarum nomen inserit. Non eo infitias. An ergo ignobilis, qui togam clarus? Ita quidem ἀντόχοδος illi, lunatici homines, fortè ex Arcadum genere & ante Lunam nati, quippe solo nomine, solam maiorum virtute ut plurimum

nobiles, quam crepare malunt, quàm imitari. Imitentur, & vel in *Sago* erubescant, si *Toga* nobilitet eos, qui Principi patriæque nati, dignum virtute præmium reportant, cum & in foro aut meritum nobilissimos faciat, aut vetustas. *L. providendum C. de postulando.* Premit fortius, dum propero, Miles.

*L. advocati
C. de ad-
voc. divers.
indictor. n.*

Virtus belli immortalitatem parit & famam mori nesciam; mortem etiam gloriosam facit, quæ gloriam adfert ac salutem patriæ. Viri Togati in umbra vita est, in plumis ac culcitris in gloria mors. Itane? verbo vertam, atq; evertam ista. Viri litterati manus immortalitatem parit, & ab illa hanc arma accipiunt; ab Homero Achilles; ab Arriano ac Curtio Alexander; à Suetonio ac Dione, Cæsares; & ab alijs alij. Hæc vera spirantiaq; gloriæ simulacra sunt, ac monumenta interire nescia: factas fictasque statuas aut vis conuellit, aut vetustas tollit. Amplius: Viri Togati in luce vita est, mors gloriosa. Vultis à *Sago* & veritate testimonium? dicent Leo, & Antoninus, Augusti: *Advocati, qui dirimunt ambigua facta causarum. suaq; defensionis viribus in rebus sepè publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano generi, quàm si per alijs ac vulneribus patriam parentesq; saluarent.* Domesticum addo, & quod à *Toga* venit: non hercule lorica

*Auctor.
de clavis
erat.*

447

aut gladius in acie firmitus munimentum, quam
tes & periclitanti praesidium simul & telum, quo
propugnare pariter & incessere, vel in iudicio,
vel in Senatu, vel apud principem possis.

Etsi bella querunt.

Non perit virtus: licet exercere togata
Munera militia licet & sine sanguinis haustu
Milia legitimo sub iudice bella mouere.

Hinc quoque seruati contingit gloria ciuis,
Altraq; victrices intexunt limina palma.

Neque enim illi soli militant, qui gladijs,
clypeis ac thoracibus nituntur, sed & causa-
rum patroni, qui gloriosa vocis confisi mu-
nimine, laborantium spem, vitam & posteros
defendunt.

Non ille solus militat, qui in arce stat, & cornu
dextrum laeuumq; defendit, sed qui portas; & statione minus periculosa non otiosa
tamen fungitur.

Explicat se in foro ac publico magnus
animus, latere nescius, & vbi cunque otium
suum absconderit, negotium reperit, vt pro sit
singulis & vniuersis, ingenio, voce, consilio;
vt Rempubl. qua opus, defendat, leges per-
niciosas tollat, ciues seditiosos eijciat, audaces
frangat. Res ardua, nec periculi expers,
& ad quam e veteri nostraq; memoria pau-
cis peruenire datum: cuius vt magna qua-
dam dignitas, ita maior semper paucitas.

Quid enim tam regium, tam liberale, tam

B 4

munifi-

Lucanus
ad Pisonem.

Seneca
de tran-
quil. c. 2.

munificum, quàm præfidiū amicis, opē alienis, salutē ferre periclitantibus, liberare periculis patriā, retinere homines in ciuitate? Id verò Togæ ac Togati munus est. Amplius dico, Litterata ista militia, o bis vrbisq; sol est: Istum tolle, & mox in peius omnia videbis ruere,

Idem

autor De
Oratore.

Ac retrò sublapsa referri.

Iam verò qui Togatorum comitatus & egressus? qua in publico species? qua in iudicio veneratio? qui in priuato concursus & circumfusio?

Forenses semper rabulas, ac quiduis potius, quàm causarum patronos, patresq; conscriptos, à laude ista atque ad ore arceo, ac suum sibi euge, bene, ac grande σοφῶς habere sino. Miles ille noster, dum ad Reip. clauum sedet, Hoc AGIT; & ab Honesti iustique regula nullę calumniantium technę ac fraudes demouere queant. Loquaci Fabio os facile obturat, suggillantes comprimit, ac frenat, ferre illos nequit, qui venalem in forū linguam proferunt. Id demum consequitur bonum Resp. ciuem habeat, militem si opus, defensoremq; patria, legibus armatū, togæ insignibus ornatum. Quid multis? In manu victoria erat, Auditores: at quia etiā armatum militem nostrum facio, & ferro munio, vt receptui canam, in eo omnis aduersarij,

versarij, conatus est. Video enim à priscis
 etiam hoc notatum, & secutos plerosque,
 Quòd litterarum cultu maiestatem armis
 partam eneruari, & generosos animos emas-
 culari crederent, remque militarem negli-
 gi ab ijs, qui libros Græcos præsertim tra-
 ctarent. Apud Romanos (Marius *neque lit-
 teras Græcas didicit*, quippe quæ ad virtutem
 Doctoribus nihil prodesse. At illa multò opti-
 ma Reipubl. edoctus est, hostem ferire, præsidia a-
 gitare, nihil metuere, nisi turpem famam. Deri-
 diculus itaque Scytha ille, qui captis Athe-
 nis cremari libros vetuit, vt legedis ijs Græ-
 culi ad militiam bellumque inepti redderē-
 tur. Prudentius, Ianiusque Mitylenæi, quod
 eas tantum ciuitates florere posse iudicaret,
 in quibus litterarum cultui locus esset, gra-
 uiore nullam bello victis pœnam irroga-
 bant, nisi vt ne liberos suos litteras edoce-
 rent. In Scythis itaque, gente barbara & in-
 culta, vsu id venisse viderit fortasse anti-
 quitas. Mascula Romanorum virtus effe-
 minari atque eneruari litteris non potuit,
 imò potuit intendi istis litterarum velut
 neruis. At eneruatam inquires, atque id ex-
 perientiâ compertum, vt, qui litteris in-
 structi, togaque armati, metu facile per-
 cellantur; adeoque vt molles, & solo cala-
 mo assuetas habentes manus, à bello
 remouendos; admouendos. verò eos,

Apud Sal-
 lust.

Mure-
 R. 22.

B. 5

qui



Patric. II. 9
eo. 5.

qui laboribus assueti, solibus obdurati, plu-
uias imbresque perferant, onera ferant, fos-
sam ducant, & Pompeij magni exemplo,
cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum
validis veste ac sude certent: qui umbraticas
illas velitationes umbris relinquunt; vno
verbo, qui *σκιαμαχεῖν* nesciant. Ego verò
metu percelli illos, qui voce nō armis, con-
silio non robore res arduas & periculosa
plenum opus alex moliuntur, tam facile
negauero, quā in promptu id aduersarijs
asserere. Sed vt vel hoc ijs demus, non om-
nes manu ac robore pugnent necessum est:
imò gigantomachia quædam erit, si manu
tantum. Pulcrè ac verè Euripides, omnia Ra-
tione confici, quæ etiam hostile ferrum of-
ficere neutiquam valeat.

Eurip.

πάν ἐξαίρη λόγῳ,

ὃ καὶ σίδηρος πολέμιων δράσασθαι ἄν.

Virg. I.

Adeo que magna in populo cum sæpè coortæ est
Seditio, sauiq; animis ignobile vulgus.

Aen.

Ulla regit dictis animos, & pectora mulcet
Tantum itaque abest, vt viri Togati animū
muliebris occupet metus, vt etiam meticu-
losum excitet, bella auxilio consilioque di-
rigat & administret, hestium & seditiosorū
hominum conatus atque impetus eludat ac
frangat, pater deniq; patriæ dici iure queat.
Exempla domi clara & rara: ab antiquitate
tamen si ea petam, Togam etiam armatam
clabo,

dabo, in medijs armis conflictuque viros
 voce & ore promptos, consilio strenuos.
 Talis è prisco ævo Cyneas ille Thessalus, *Plutar. in*
 Pyrrhi Epirotarum Regis domi forisque *Pyrrho.*
 comes, qui quas vi ferroque oppugnare vr-
 bes Pyrrhus poterat, expugnare nõ poterat,
 voce & ore potestati Pyrrhi subiecit, at-
 que imperio adiecit. Talis è superiori me- *Volater.*
 moria Pierius ille Collutius, florentinæ *lib. 21.*
 Reip. orator, de quo Ioan. Galeatij, Medio-
 lanensium ducis ac Florentinorum hostis,
 hoc elogium est, *Plus sibi suisque detrimenti*
Pierij attulisse litteras, quam mille alioquin ca-
saphractos armatosque equites. Vnius Themis-
 toclis cõsiliu ac prudentia Xerxem illum
 maris dominum, classemque sex mille nau-
 bus instructam, ad Salaminem depulsi-
 Et verò, (lubet enim ἕσπερον πρότερον redire *Herod.*
 ad Romanos, rerum dominos, gentemque *l. 8.*
 togatam,) an solis armis tantum operum pa-
 ce belloque gessisse illos putandum, ut qui *Florus in*
 illorum res legat, non populi vnus sed ge- *proemio.*
 neris humani facta discat? Alia fuere (lapien-
 tissimi Catonis contra Catilinam verba ad-
 duco) quæ illos Magnos fecere, domi indu-
 stria, foris iustum imperium, animus in con-
 sulendo liber, neque delictis neque libidini
 obnoxius. A litteris, illa imperij inuenta &
 robusta quædam maturitas vires maturas
 atque incrementum sumpsit. Dum litteris
 floruit

*Cepola
traçt. de
Imperat.
onilitam
deligendo.*

*Podinus in
methodo
Historia.*

Cic. i. offic.

floruit Roma, armis polluit. Fuit tempus illud & veris & armis incitatissimum, quod milites habuit litteris excultos; belli duces Togâ claros; quos nō tam vires strenuitatēquā diuturnæ observationis industria, literataquē militia armis præficit, & in aciem ducit. Imò verò, quicquid in militia magnum, à litteris est. Id scriptores Tactici, Stratocles, Frontinus, Vegetius, Aelianus, Onofander, id Historici docēt vno ore omnes; illi disciplinæ artiq; præcepta suppeditant; hi prælia, fœdera, strategemata, belli causas, casus, & consilia memorant. Quo fructu? Loquitur omnis retrò memoria, & dāno suo ac Reip, malo Africa Asiaque experta est, cuius pars magna Selimo, impio Turcarum tyranno breui cessit. Id nimirum à Cæsaris, Sallustij, Livij, lectione animi ac virium assecutus erat barbarus ille ac tyrannicus Turcæ animus. Breuiter: quis vrbes condere, cuniculos ducere, castra metari, loca metiri docuit? Litteræ. Quis catapultas bello dedit, laxis ingentibus iaciendis: quis arietes muris verberandis ac deiiciendis? dedit litteratus ac togatus miles. Vnde tormenta illa, fulminum emula, vnde tot bellandi ac fallendi artes? ex philosophiæ armamentario deprompsit ista miles noster.

Cedant ergò arma toge, concedat laurea lingua.

Hactē.

Hactenus ancipiti alea agitata hæc Quæ-
 stio est, Aditatores. Commodum hic scrupu-
 lum iniecit doctissimus D. harum Quæ-
 stionum Præses. In pari, inquit, laude ac di-
 gnitate Togam ac Sagum colloco; par in v-
 troque momentum ac præsidium cõstituo.
 Videri itaque veram laudem per me Sago
 detractam. Ego verò veram militi militiæ-
 que laudem non detraho. In pari laude, non
 loco pono. Atque ita iudico (si rectè calcu-
 lum ponere volumus) Vitam civilem siue
 urbanam militari siue bellicæ potio-
 rem, literatamq; militiam armatæ præferendam
 pronuntio: & hanc illius gratiâ inuentam,
 quâ Reip. tranquillitas ab hoste cùm inter-
 no tum externo inuiolata conseruetur.

Sic

Alterius eget altera ope, & coniurat amico

*Horat. de
Arte.*

*Εὐ δὲ χειρὶ τέλος πολέμου, ἔπειθ' ἐνὶ βυλῆ.
Verba in consilio, valet in certamine robur.*

Il. π.

Toga siue vita civilis, vbi de summa re-
 rum agitur, Sagum implorat. Bellica seu
 militaris sine civili prudentia ac prouiden-
 tia temerè agit, quicquid agit: cùm leges
 aut armis impèrent, aut sanè arma tempe-
 rent ac moderentur.

Quærent anxie Philosophi, quid beatâ ef-
 ficiat vitâ; an voluptas cùm Epicuro; an diuitiæ
 cum Aristotele; an Virtus cum Zenone?

Hic

Hic si Libertini, Epicuri de grege porci;
sententiam dicant, pro voluptate dicent;
vulgus diuitias arripiet; virtutem vnus for-
tè & item alter; scilicet

Horat.

Querenda pecunia primum est,

Virtus post nummos.

At verò cum ad corpus voluptas per-
tineat; voluptatis gratiâ compara-
tæ sint diuitiæ, corpus verò animo
seruiat, rationi id maximè consentaneum
est, vt primum animi bonis locum demus,
cætera his segniora in secundis tertijque
consistant, quando in primis non licet.
sic se res habet. Ciuilis vita militari prior
est potiorque, & alteræ alterius gratiâ necessi-
tas induxit. A *Sago* robur est, à *Toga* consi-
lium. Sine consilio robur temerarium est,
immane quiddam, & beluarum simile. Con-
siliium robore destitutum & armorum auxi-
lio, ius legesque ciuitatis illæsas tueri diu non
potest. Id ita ab æterna illa & architecturæ
mente DEO Opt. Max. ordinatum est, vt
πολιτείας quidam ordo esset, distinctisque
rerum dominijs illi præessent, qui in officio
rebelles continerent, hostes propulsarent.
Hoc nimirum boni ac pacifici Principis mu-
nus est, curare, vt subditos habeat fortunæ
bonis instructos, corporis robore præstan-
tes, animi virtutibus insignitos, vno verbo
bellicosos simul & sapientes: *Quis rem etiam*

Cic. pro

diffi-

difficillimam consilio regere, integritate tueri, ^{lege Manij;}
 virtute conficere possint. Neque aliam ob caus- ^{lia.}
 sam Palladem armatam fabulosa finxit anti-
 quitas, quàm vt ostenderet vim bellicam cū
 sapientia coniunctam esse oportere, mu-
 tuumque inter has ipsas esse commercium. ^{Gic. ad Q.}
 Hanc coniunctionem videl. potestatis ac sa- ^{Frat. em. 2.}
 pientia, saluti censuit ciuitatibus esse posse ^{lib. 1. ep. 8.}
 princeps ingenij & doctrinae Plato, qui tum
 denique fore beatas Respub. putauit, si aut docti
 & sapientes homines eas regerent, aut qui rege-
 rent, omne suum studium in doctrina ac sapientia
 collocarent. Ita enim fieri amat, vt velut in
 longum porrectis oculis, vbi armis non li-
 cet, consilio hostem frangat optimus Prin-
 cept, qui

In sapientia nauem torquet, non in valentia Sa- ^{Tullianus}
 pientis oraculum est טובה חכמה מכל קרב ^{apud No-}

Melior Sapientia, quàm instrumenta bellica. ^{Eccl. 9. 18.}

Iterum: טובה חכמה מאבירה ^{Melior}
 Sapientia, quàm fortitudo. ^{Cic. 1. off.}

Parua enim foris arma sunt, si nō est consi-
 lium domi; plusq; viri sapientis consilium
 sapē prodest & potest, quàm ingens militū ^{Horat. 3.}
 manus, quæ mole suâ mox ruat. In sola ac ^{4.}
 nuda vi vis nulla ac robur bello, nī artem,
 consilium, legesque, & qui ista administrent,
 Princeps adhibeat. Domi quies longa non
 erit, si leges sileant nec ligent. Quod cū in
 omni benè constituta Repub. vtilē ne dicam
 neces.

necessarium, tum in Imperatore, ac Rege etiam per necessarium; qui leges condas Reip. salutare, conditas vi armisq; tueatur; ut sit.

βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' ἀρχηγός.

Et rector bonus & bonus Induperator.

Presat.
Instis.

e de In
fin. Cod.
confir in
princ.

Imperatoriam enim Maiestatem, ut è primis Iuris elementis discimus, non solum armis decoratam, sed & legibus oportet esse armatam, ut utrumq; tempus & bellorum & pacis rectè possit gubernari. Et summam Reipubl. tuitionem de stirpe duarum rerū puta armorū ac legum venisse, Iustinianus alibi pronuntiat. Scitè id quoq; inter Regum scita & emblemata retulit Simeon Gabriellus, EX VTROQUE CAESAR, puta armis ac litteris. In eādē rē Gladiū pennis circūligatum expressit Claudius Paradinus: ad perfectā enim Rempublicā duo in primis necessaria, Litteræ & Gladius; ille rebus deliberandis ac decernendis, hic exsequendis.

Plutar. in
Apopb.

Aelian. 4.
s. 19.

Ne longum faciam, propono è priscis Alexandrum, à rerum gestarum magnitudine verè magnum, qui βαλῆ καὶ μύθοις καὶ τέχνῃ στρατηγικῇ consilio, eloquentiā & arte militari solis Orientis orbem mirā celeritate subiugavit. E Romanis solos Cæsarem ac Pompeium sisto. Cæsar ambiguum posteris reliquit, bellicisne laudibus praestantior fuerit, an doctrinæ studijs, excellentior. Pompeius,

Pompeius, ad omnia summa natus, maiorem
dicendi gloriam habuisset, nisi eum maioris gloriae ^{Cic in Bruto}
cupidas ad bellicas laudes abstraxisset. Vidit ^{10.}
oratore ac Consulem Roma, Togā insignā:
habuit Imperatorem & triumphatorem mi-
les, Sago illustrem. Sed vnus omnium in-
star sit, laudatissimus Imp. noster Iustinia-
nus, tam iuris religiosissimus quam victis hostibus
triumphator magnificus, vt prorsus ἀναλαβήλον
fuisse Suidæ commentum sit. Nam & aureū
Institutionum libellum ipse legit, recogno-
uit, ac plenissimum eis Constitutionis suæ
robur accommodauit. Vnicum addo, quem ^{Ionius in}
superioris sæculi ætas vidit, Matthiam Hun- ^{elog. mili-}
garie Regem, & armorum & litterarum ^{tar.}
præsidio munitum: nam de Alphonso Ara- ^{Panor. l. 4.}
gonio, illo Regum ornamento, ex libris ar-
ma & armorum iura edocto, decantata res
est. Didicerant quippe iuris & equi scientis-
simi ac seruantissimi Principes, militiæ insti-
tuta ab ignaris non nisi longo rerum vtu
percipi, quæ ipsi è mutis illis Magistris mox
allexerentur.

At quia difficile in primis, vt quis prælio ^{Salust. in}
sit strenuus, & bonus consilio; quorum alterum ^{Inguarib.}
ex prouidentia timorem, alterum ex audacia te-
meritatem adferre plerumque soles: à Toga
etiam hic præsidium Princeps habebit, co-
mitelque sibi iunget viros sapientia & au-
toritate insignes, qui belli commoda atque
incommoda

C

incommoda

incommoda examinent, euentuum momenta singula expédant. At hic rursus delectu quodam & iudicio opus, ut viros habeat ista dignitate dignos, veros Iustitiæ Mystras, seueros Legum vindices, eos denique Adseffores, qui à communi sæculi labe immunes sint; quos:

*Horat. l. 5.
od. 3.*

*Non ciuium ardor praua iubentium
Nec vultus instantis pepelli,
Mente solida moueat: quosq;
Si fractus illabatur orbis,
Impavidos feriant ruinae.*

Lamprid.

Hos sibi amicos Princeps bonus eligat, sed paucos, & negotijs istis pares, sciētes seruantesq; æqui, quales nimirum *Alexandro* fuisse *Vlpianus*, *Paulus*, *Pomponius*, *Alphenus*, *Africanus*, *Martianus*, *Callistratus*, *Venuleius*; qualis *Augusto* *Trebatius*; *Vespasiano* *Cassius*; *Hadriano* *Iulianus*; *Antonino* *Scæuola*; *Septimo Seuero* *Papinianus*. Quorum è schola frequentem prodijisse militem, vix est ut dubitem, cum qui *Pandectarum* seu *Digestorum* nobis congeriem illam reliquerunt, *De re militari* ex *Vlpiano*, *Furio*, *Martino*, *Paulo*, *Titulum* ijs insertum voluerint: laudanturq; *Tarentini Paterni* (quem diligentissimum iuris militaris assertorem nominat *Vegetius*) *Aemilij Macri* & *Arrij Menandri* *Iurisconsultorum de re militari Responsa* & libri. Fuit nimirum semper, *Toga*

Veget. l. 1.

ac

ac Sagi quædam societas: & in celebrioribus Italiæ ac Galliæ, hodieque Academijs qui iura legesque discunt, etiam armorum ac gladij gerendi ius habent; iure an iniuria, nunc non disputo. Ne longè abeam, Nouum ac nobile in hac ipsa nobilissima orbis Academia exemplum nobilis studiosorum (an & militum dicam?) dedit animus. Tentabat **LOVANIVM** *Martinus Rossemius*, Geldro-Gallici exercitus ductor, manu, consilio, sollertiâ, dolo, promptus; irâ & sanguine feruens. Iamq; in limine ipso constitit, foro & prædæ imminebat. In ciuicæ spes nulla vel exigua: neque precibus aut donis dabat locum hostis. Non tulit id militaris studiosorum animus, otio licet & vmbre assuetus: excussis libris, pugillaribus ac graphijs gladios arripuit, positâ togâ sagum sumpsit; apertisque ad conferenda cum hoste colloquia repagulis, hostem inuasit, in fugam coniecit, sibi, Academiæq; gloriam, Vrbi, Brabantiaq; salutem peperit. In medijs castris, atque sub Iouè frigido, natum, educatum, adultum dixisses. Ostendit nimirum studiosa ac generosa iuuentus, an inermes, vbi opus, litteræ. Dignum laude, ac præcone **NANNIO & DAMIANO GOESIO**, (studiosorum is ductor erat,) facinus: cuius etiam pars aliqua in vos deriuata, studiosissimi Adolescentes,

An. D.

1542.

Pec. Nat.

nim. orat.

de obsid.

LONAN.

Maſti ergò gloriâ iſtâ, ac nobilitate veſtrâ, nobili genere nati, quorum in excelſis opes ſunt, quibus erectior indoles, & incoſtum generoſo pectus Honoſto. Togæ opes, artes atque ornamenta propoſui, nec Sagi neglexi. His opibus animos inſtruite, his artibus imbuite, his ornamentis decorate. Scientiæ politicæ ac legalis hic fructus eſt, atque hic finis, bene feliciterque regere, ſubditos & belli & pacis tempore in officio, atque intra ſapientiæ metas continere; ſe, ſuos, patriam tueri. Sapientiſſimi mortalium prudens præceptum eſt ἕκαστον μόιον αὐτοῦς τ'εὐδαίμονας εἶναι, καὶ τῆς ἐαυτῶν οἴκουσ καλῶς οἰκῆν, ἀλλὰ καὶ ἄλλης ἀνδρῶν καὶ πόλεως διύνασθαι εὐαίμονας ποιεῖν. Vobis Reipubl. ſuæ gubernacula promittit optimus Imperator, Princeps Optimus. Nec ea vos ſpes faller, ſi de vobis concepta principem non fallar. Sunt in manibus, in oculis, quorum ſcripta doctos, vita prudētes, & ad Reip. curâ ac regimen aptos reddet. Veteres illos Cratſos, Scævulas, Sulpitios, è recentibus Alciatos, Budæos, Cuiacios, Fabros, Viglios, Hopperos, homines diſertos, in partē eius voco & propono, non balbutientes, aut linguæ volubilitate inſignes Leguleios, quorum curâ incuriaq; ius omne perit, & ad rixas, inaneſq; diſceptationes traducitur nunquâ finiēdas, qui dū iuris ſtudiū, crudū adhuc & vixdum

ceptum

Socras.

cœptum in forū propellunt, ibidē in gloriā
 cōsenescunt, & hoc vnum curant scilicet, ut
 clientulos suos ærulentur, ac canina illā
 facundiā suā rodant, radant, ac corradant
 omnem quod liber, non quod licet; soli lo-
 cu i ac lucelli capture inhiantes, & litium si-
 nuolarū fœturam venantes; quæ si illis co-
 piosa obtingat, tum verò γενναίοι ἐκ βαλαυλίας
generosi ex crumena videri & esse volunt. At
 suū sibi pulcrū nundinatores illi habeant, &
 argentanginā suā laborent. Vos generosior
 mens agitat excitatq̄ue. Si iuris ergo castris
 nomen dedistis, propolui quos imitemini.
 prodierunt è papiniani schola, & Reip. gu-
 bernaculis admoti sunt, Ulpianus, Paulus,
 Modestinus, ceteri innumerabiles; habetq̄;
 ætas hæc nostra, sub principe OPT. PACI-
 FICO, PIO viros eruditione illustres, rerū a-
 gendarū prudentiā primos, quos Belgio LO-
 VANIVM plures dedit, Si philosophia ma-
 gis placet, dedit illa ad propugnādas Siracu-
 sas Eudeniū, Dionē, alios. Si politiores illę lit-
 teræ, scientiarū omniū velut pedisseq̄; & or-
 natrices, mentē linguāq̄; poliūt, nec illæ a-
 symbolæ erunt. His imbuti Cleon & Phoriō
 Byzatiū, Solō & vicistratus Athenas tutati
 sunt. Nec est, quod naturā accusemus, quasi
 effœtā, frustra q̄; ad veterū g'oriā anhelatē.
 Sæculi id & hominum, non naturæ vitium
 est. Miramur in priscis, quicquid subtiliter
 ab ijs inuentum, artis militaris scientiam,

navium gubernandarum mari in magno peritiam. Mirarentur nunc illi, & indignarentur, si reuiuiscerent, longo se relinqui interuallo. Hoc vno scilicet gloriari adhuc veteres iure possunt, litterarum scientiam nondum illis ereptam, extincto in nobis ad artes honestas igne. Excutiamus torporem illum atq; veterum, Auditores. In media palma est. Toga vos ac Sagū expectat; illa Reipub. ornandæ, hoc armandæ, ac propugnandæ. Agite Themidos Mystæ. Habetis hic castra, tentoria, campum, duces, milites, cōmilitiones. Campus, in quo depugnetis, LOVANIVM est, illa Musarum sedes, illud studiorum omnium emporium, illæ Athenæ Belgicæ. Duces in sua quique legione præstantissimi. Vos milites, commilitonesque in isto nunc campo desudate: & à Toga ad Sagum, si ita Reip. status ac necessitas aliquādo postularit, non ut ad hostem transfugis, sed ut ad commilitones vestros tuta via erit.

Dixi.



DISSER.



DISSERTATIO

ALTERA.

AN AEQVVM ID BRABANTORVM
*Priuilegium siue Statutum, quo muneris
 publici habetur incapax quisquis
 extra examinatur?*



VIT à Doctissimo D. ha-
 rum Quaestionum Praeside
 de proposita secundo loco,
 quaestio, *An aequum &c.*
 Quae quidem Quaestio fu-
 siorem orationem postu-
 laret, quia pro Brabantis meis dicendum est.
 At quia loci temporisque angustiae longio-
 rem dictionem non capiunt, paucis per-
 stringam, & summa sequar vestigia re-
 rum.

De Peregrinis bipartita & olim fuit,
 hodieque esse solet Quaestio, de peregrin-
 tantibus extra, terrasque peregrè obambu-
 lantibus, deque peregrinis intra urbem re-
 cipiendis. Graeci (queis nil natura negauit)

ἀποδημίαν καὶ ἐπισπηδήμίαν eleganter vocant.
 Fuit de ijs non vna veterum sententia. Peregrinari suos passi non sunt, ac peregrinos eiciebant Spartani atque Iudæi. A statuto mox isto discessum est, & concessa peregrinatio. Probatum etiam mos ille Romanis aliquando, ac de eo Iulia & Papia latæ leges. Apolloniatas Spartanorum institutum secutos, auctor est, Aelianus. Nam Aegyptiorum illa ξινοκλονία verè barbara fuit, aut si quid dici peius potest; cùm etiam ξενηλασία ipsa à barbarie propius abeat, * quippe solis barbaris usurpata. Hodie totus ferè mundus peregrinari amat, ac peregrinos in urbem recipit, ius civitatis impertit, sæpè etiam ad Honores viam aperit. Proni, benigni, ac faciles in eos Romani, difficiliore Græci; qui φουδτλοντες τὸ λυγίνες, rarò cum ijsdem ius civitatis communicabant; id quod raro etiam exemplo in Brabantia aliquando factitatum, quæ exteros quidem in civium albo ac numero patitur, (*adscriptitios* vulgus vocat) iura tamen civium cum ijs communia esse non sinit.

Li 11. c. 16
 Strabo
 l. 17.
 * Braso
 Abenes.

Dion. Halicarn. li. 2

Atque ista quidem vniuersim de peregrinantibus foris, ac domi peregrinis: suntque non pauca, quæ ab istis & his auocent, atq; in primis disciplinæ morumq; exterorum cõtagio. Languere Romana tũ cœpit virtus, cū peregrinæ luxuriæ origo in urbem inue-

Et. Dabit quidem peregrinatio gētium va- ^{Seneca}
 riarū notitiā, ostēdet nouas montiū formas, ^{epist. 18.}
 inusitata cāporū spacia, & irriguas perēnib.
 aquis valles oculis subijciet: at meliorē illa
 nō faciet aut saniorē. Languescit peregrinā-
 tiū erga patriam studiū, nascitur exterorum
 amor, suorū cōtemptus. A peregrinorū com-
 mercio idē ferē periculū. In cultu victuq; lu-
 xus, fraudes, doli, pręsertim si frequētes esse
 incipiant, manu & numero fortes. In Iudeis
 (procul licet disitis) experta id aliquādo
 Germania, in Mauris Hispania, in alijs alijs.

Sed vt ista mittamus, ad id quod nostri in-
 stituti est, accedamus propiūs. Et vel ex his
 ipsis, quę de multis propolui, Assertionē istā
 nostram stabilire in promptu fuerit, illos
 patrię ac Reip. clauo admouēdos, quos sinu
 suo patria fouit, promouit, dignosq; reperit,
 queis se suaq; committeret. Vnde effici vi-
 detur. boni in primis Principis id esse, hos vt
 caros habeat, quos fidos carosq; patria sēper
 habuit. Quid enim? peregrinus in interiorē
 Principis aulam familiaritate sese insinuet,
 cautus hic ac catus sit Princeps necesse est,
 ne sinu suo scorpionem, vt aiunt, foueat. Num-
 quid amplius? friget in Principem subditorū
 amor, cum negligi se contemniq; à Principe
 vidēt, nec res etiā illa periculi expers est. Pes-
 simē apud suos audiit Alexāder, cū post habi-

indigenis, aures Persis qbusdā dare cepit,

C s • suorum

Leti. iur.
croitus
lit. 9.

L. 1. § pe-
nult. ad
Municip.

Bart. &
DD. ad li.
r ad mu-
unicipalē.

Bald ad
l. vnus
quisque
C. de in-
fant. ex
pōs. & ad
l. 2. C. de
capr.

suorum conspirationes ac factiones Caro-
lus cognomento Simplex vix euasit, cum
postpositis Francis, omnia Germanis crede-
ret. Et quas nuper Gallia turbas vidit, quia
Italum in ea titulis & honoribus auctum?
Ab omni æuo crebra huius rei exempla pe-
ti possent, quæ id suadeant prorsus, ne pere-
grinum Princeps arcanorum sumat arbi-
trum, nisi id regni status, tempusque aliquā-
do postulet, & tunc è pluribus vnum habeat
aut etiam alterū, cuius probata fides sit, ac
spectata probitas. Permittunt id etiam Bra-
bantiaē ordines, & binos à Cōsilijs, totidem
à secretis in supremo Brabantiaē senatu esse
patiuntur; aliàs muneris illius habetur in-
capax, quisquis extra eam natus. Ciues enim
hic origo facit, id est ortus, natiuitasque: &
his solis ad Honores p atere viam Priuile-
gijs Brabantiaē cautum est. Nec à iusto & æ-
quo Statutum hoc abit, cum expedire id etiā
Iurisconsulti doceāt, vt Officiales Comitati-
ui seu ducatiui sint, ita illi loquūtur. Aequū
vt dixi, id ipsum suadet: solent enim tales
extraneis fideliores existere, carior ijsdem
parentum focus, patriæque salus esse solet, in
quam ne peccent, pœnæ eos formido mo-
ner, patriæ, ciuitatis ac natiuitatis præroga-
tiuis priuandos.

Aequum præterea id Brabantiaē Statutum
esse vel id persuaserit, vt quandoquidem à
patria

patria & parentibus habeamus, quod sumus, in patria nati, educatiq̄ue, illam tueamur ac veneremur matrem filij, nisi ingrati atque impij in eandem esse velimus. Quis matri magis obligatus, quàm filius? quis patrie plus debet, quàm qui in ea natus? docuit id antiquitas omnis, docuit exemplo suo Tullius, docuere Reguli, Decij, Scipiones, Curtij, & infiniti alij, qui patrie salutem suam posthabuerunt.

Meticulosus enim hic vbi de rei summa agitur, plerumque exterus, infida vt plurimum fides, lucrum potius quàm famam & gloriam captat. Illud vnum vel maximè illi curæ est; cætera populus curet scilicet. Indigena hic si Resp. habeat, mitius ille leniusq̄; reget, famæ & gloriae studio. Hoc enim boni senatoris est, nosse Rempubicam; quid valeat ærario, quos amicos habeat; quâ quisque sit lege, conditione, scedere, tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla maiorum. Solus ista ciuis nouit, exterus quia ignorat, suo hic more modoq̄ue in peius vertit omnia atque peruertit.

Quod si verum; sequitur id longè verissimum atque æquissimum Brabantia statutum conuelli nullo modo posse, quo soli Brabanti Reipub. gubernaculis adiuuentur.

Et Qui-

Et quidem æquum id Brabantorum statutum negare non ausim, quia Brabantus. At verò, quia Saturnalia sunt, & dicendi quædam cōcessa nobis libertas, lubet retrorsum vela dare & in altum ducere. A capite ipso, quod singulis præsit membris necesse est, conuelli id Brabantorum statutum posse videatur. An non & id æquum, ut qui Brabantis imperet, Brabantus sit? Hoc enim lege diuina populi Israelitici edocti sunt. Hoc nuperum in Henrico III. Galliarum Rege, Maximiliano Austriæ Archiduce Polonia docuit; sceptrū ijs & regni habenas eripuit, quia peregrini. Hoc in imperio Germanico Romano hodieque obtinet, ad quod sollet à Septemuiris electoribus admitti nemo, nisi Germano sanguine natus. Hoc denique patriæ amor suadet. Nec à ratione abit, ut ciuium ac subditorū mores perspectos Princeps habeat, ut leni suis imperio Rex regat, facili freno Dux ducat. Iam verò quàm dissimile Iberorum, Italorum, Gallorum ingenium? Notius id, quàm ut verbum eade re addam. Inuaserunt Siciliam Galli, iurean iniuriā quid attinet dicere? At quis dominatus illius victoriæque exitus? docuere id vesperæ illæ Sicilianæ, Quibus Galli ad vnum omnes miserè mactati: grata ea Siculis scilicet victima, ut nihil amplius dicam. Et Leo ille Belgicus (ne abeam

Deut. 18.

abeam longius) olim fortissimus & vincinescius, dum membra omnia vnita habuit, nunc variè ac miserè discerptus, vix iustastollit, quia exterorum ferre iugum non potuit. Ea scilicet multorum adhuc, at hostium, vox est, vt vel hoc prætextu Principis optimi imperium detraherent.

Nos verò miti ac leni, sub mitissimo ac lenissimo Principe, fræno ducimur, non regimur. Hoc verè optimi ducis munus est. Ille nos comiter suauiterque regit: hoc pijssimi Comitis exemplum est. Imitentur exteri omnes, quibus sanguis successioque fasces sceptrumque detulit, & à secessionibus seditionibusque suorum periculù non erit.

Quod ergò in Principe aliquando licet, vt exterus præsit, id rigidum Brabantorum statutum non permittet, vt exteri Reipubl. præsent ac profint? Quid qui ordinem Ecclesiasticum in Brabantia constituunt, an non vt plurimum exteri? Sed facilis, inquires, dilutio est. Alibi nati, hic renati. Nobiles ipsos Comites, Baronesque Brabantia habet alibi natos. Sed & hic non difficilis nec dissimilis responsio. Alibi nati, at sanguis successioque Brabantos facit. Missa itaque isthæc faciamus.

Et Brabantos nostros alibi peregrinos, in publicis etiam munijs constitutos indignaberis aut miraberis? non equidē indignor, aut miror: gratulor etiam, & exterorum in eos affectum animumque exosculor, quod eos honorent, qui Reip. honori futuri sint. Qui militiam colunt, arma tractant, domi rarius aut nunquam, apud exteros frequentius aut semper, sæpè etiam in munere atque officio publico, degunt. Quod his licitum, ceteris in Brabantia illicitum alijs, quæ exterū admittit, qui arma tractet; qui togam sumat, ius dicat, ceterisque à munijs publicis arcer. Suadet id ipsum vrbs orbisque *πολιτεια* ac status, ut alienis pro sit atque utilis sit opera eorum, quorum vsus domi, ac patrio in solo, secunda ingeniorum altrice, rarus ac nullus. Fingamus patriam ciuibus florentem, civitatem vnam capere omnes aut alere nō posse, nunquid satius erit, ciues velut in coloniam mittere, ut inibi imperij (quod plures inter atque è pluribus emergere non potest) vires periclitentur: quā ex re multum laudis, ornamentis, gloriæ ac famæ patria, plurimum exteri consequatur? Id verò gloriosum, ut, cum domi abūdè sint, qui Rempubl. tueantur atque ornent, etiam apud exteros super sint, qui eosdem (si apud eos, fortè non sint, quid id cū honore queant) defendant atque propugnent. Quod cum

in

in viris militaribus, vt dixi, laude dignum,
cur in cæteris indignum?

Atque hoc esse Stoicorum, inquires, pro-
cul à patria, velit extorrem degere ac maria
omnia circumerrare, vt prodesse exteris
queas, cum in patria viuere honestè, remque
agere & augere propriam tutius ac com-
modius possis. Id verò etiam Epicureorum
dices esse, omnia sibi, nihil patriæ dare, suis
tantum studere commodis atque emolumen-
tis, eorum causâ nihil non agere & pati, de
patria siue iuuanda siue ornanda ne cogitare
quidem. Stoicus ergò erit ille, qui extra pa-
triam alijs viuit, non patriæ, Epicureus ille,
qui in patria sibi viuit, non patriæ. Ego verò
non existimo quempiam, tam esse Stoicum
ac stolidum, qui aliena dumtaxat curet co-
moda, cum patriæ vtilius possit; aut tam E-
picureum & sordidum opinor neminem,
qui in patria rei tantum propriæ augendæ
studeat; de communi bono, siue ornando,
siue tutando cogitationem omnem abijciat.
Indidit enim nobis natura igniculos quos-
dam amoris erga patriam: illi ciuem bonum
excitant interdum et stimulant, & à pere-
grinatione exterisque domum, si opus re-
uocant. Hoc qui non sentit, ciuium numero
mox eijciendus. Da ergò, qui multum sibi,
plurimum det patriæ, vt bonum illa ciuem
agnoscat. Da, qui sibi cuncta, nihil patriæ
tribuat,

tribuat, & patriæ illum gubernaculis admo-
ue, Deus bone, quæ non ibi mox turbæ &
procella? Nonne id æquius, vt virum bonū
patriæ habeat, etiam exterum, qui bene feli-
citerque præsit, quàm ciuem vitæ profliga-
tæ, cuius curâ incuriaq; Respublica pessum-
eat? Quod cum ita sit, multis fortean per-
suasero, æquum iustumque id esse, vt peregri-
nus (paucis tamen, quorum vita moresque
in Republ. probati sunt) locum demus, ijs di-
gnitates, honores, munia pateant. Accedit
postremò & illud, post Antonini Imp. tem-

L. in orbe pora, imperij Romani orbem velut urbem
ff. de statu vnam patriamq; omnium constitutum esse,
hominum. eundemq; ciuem habitum atq; indigenam
ciuitatis ac patriæ cuiuslibet, qui Romanus
atque imperij Romani ciuis esset. pulchrè
Claudianus:

*Hac est, in gremium victos qua sola recepit
Humanumq; genus communi nomine sonit,
Matris non domina ritu: ciuesq; vocauit
Quos domuit, nexuq; pio longinqua reuin-
xit.*

Si in imperio Romano id aliquando ob-
tinuit, in quo Imperator vnus rerum Do-
minus; cur non & in Belgio hoc nostro,
præsertim in Brabantia, Flandria, Gelria
cæterisque, quibus lingua vna, Princeps
vnus? Neque hic à diuersis moribus, vitæq;
geno-

genere diuerso periculum erit. Iisdem institutis ferè viuimus, iisdem legibus paremus, ducem vnum habemus: & si quæ variant Statuta, ac Leges, etiam liget necesse erit, qui præerunt, tametsi exteri. Atque ista quidem, quia sine argumentis Quæstio est, attulisse suffecerit: quæ tamen Brabantis nostris privilegium illud suum non eripiant; cum domi habeat, patriæ ac regimini natos, principi notos ac deuotos; nec exteris egeat consultoribus, aut defensoribus istis.



D

DISSER.



DISSERTATIO TERTIA.

QUAE COMMODIOR FACILIORQUE
ad convincendos sectarios nostros via. An non ea,
quâ proprio quis eos, quoad eius fieri potest,
gladio iugulet, quoties vel ad Scriptu-
ram sacram, vel ad Patres lin-
guasque confu-
giunt.



UPEREST posterior
Quæstio, sine argumentis,
vt vocant.
Quæsitum fuit, Qui cõ-
vinci commodissime le-
ctarij nostri, quouë pacto
infringi eorum dogmata, quæ diu noctuq;
somniaut, facillimè queant: An non, si pro-
prio quis eos iugulet gladio, quoties vel ad
scripturam sacram, vel ad Patres linguasq;
confugiunt? Circuitiõne hic opus non est,
Auditores Dicam id, quod res est, breuiter.
Illi ex diuinis oraculis venenum sugunt:
ex ijsdem antidotum nos opponamus necel-
se est,

se est, & à veneno periculum non erit. Illi
verborum lenocinijs ornant poliuntque,
que effutiunt, & his velut ex tripode prola-
tis, incautos ac simplices seducunt, ipsi Sata-
nicis technis ac persuasionibus miserè sedu-
cti. Conatus hi ac fraudes in fumos mox
abibunt, si illis ipsis armis iugulum illorum
petamus. Illi è sacrarum litterarum pano-
pliâ veritatem ipsam, à qua nulla sit prouo-
catio, mirè palliant ornantq;. Versutum
hominum genus! Sacrarum litterarum Pa-
nopliam adire si libet atque aperire, quæ
non ibi hominum impudentissimorum la-
tebræ, in queis latitent. Vbi prodierint, pal-
lium detrahe, & fucata veritas erit. Quo quid
impius scelestiusue? An non ita se res habet,
Auditores? Da eloquentem, da sacris pro-
fanisq; in litteris ac Patribus apprimè versa-
rum, da linguarum, præsertim Græcæ atque
Hebraicæ in paucis peritū, & solâ hac triade
mille sectariorum linguas comprimes, do-
los mille deteges. De Linguis, quia eæ Pro-
fessionis meæ ex parte sunt, id nunc dicam,
ad solū sacrarū scripturarū, linguarūq; qui-
bus eæ conditæ sunt, scopū collimandū esse.
In manu palma erit, sepè etiâ ante conflictū:
& purū illud putūq; mox elucescit Dei ver-
bū; quod sectarij nostri, vt ipsi quidā iactitāt,
struūt; vt verò veritas ipsa loquitur, destru-
unt prorsus, & ex puro puro impurum puti-

dumq; reddunt. Id ita esse, vt exēplo vno
 & item altero comprobem, videbitur fortè
 quibusdam parergon, καὶ ἄδην πρὸς τὸν διδ-
 υσσόν; cū aliud locus hic tempusq; argu-
 mentum, alias Saturnalitæ hę feriæ facetas
 postulēt. Sed quid? An inficetur & insipidū
 id palato nostro erit, quod illis sapit opti-
 mē? Imò verò, dum sapit optimē, inficit ma-
 ximē, quicquid ab impuro ac purulento ho-
 minum eiusmodi ore venit. Miramur in il-
 lis litterarum linguarumq; studium: ridēt
 illi in plerisque nostrum contemptum ea-
 rundem. Notam istam eluamus, & cū prin-
 cipe illa scientiarum iungamus litterarum
 linguarumq; scientiam; videbit mox quilibet,
 ni talpa cæcior sit, præter litteras lin-
 guasq; nihil ferè in illis esse reliqui. In his
 pueros torquent, adhuc rudimentarios, &
 ad altiores illas disciplinas patère aditum
 volunt nemini, qui in triualibus, vt vocāt,
 scholis Græcam atq; Hebraicam linguas nō
 didicerit: adeoque quarundam id apud eos
 scholarum statutum est, vt non prius dignos
 scientiarum dent honores ac titulos, quàm
 facti in linguis fructus profectusq; speci-
 men quis dederit. Hoc nimirum est, quod
 nuper sanctissimus Paulus V. Pont. Max. Bre-
 ui, vt vocant, Apostolico, pro linguarum co-
 gnitione constituit, vt, in promotione ad Doctō-
 ratus gradus, & ad alios sui ordinis honores illi,
 ceteris

ceteris paribus, præferatur, qui in cognitione triū
linguarū ita profecerint, ut ad docendas illas apti
sint. Hortatur & excitat ad linguas summus
Pontifex. Sequamur hortantem & excitantē
volentes lubentes: & præter alia quæ cog-
nitio ea parit commoda, etiam illud nobis ac-
cedet velut ludentibus, quo sectarijs nostris
promptè respondere, ac petulantem fero-
cientemq; frenare linguam liceat.

Lepidum ac ridiculum est, quod proferā;
& fortè multis ad linguarum studium stimu-
lus erit. Erat notæ improbitatis atque im-
pietatis apostata, capularis senex: notæ simi-
liter erat probitatis, pietatis, ac doctrinæ
Pastor quidam, cui calidus adhuc sanguis.
Quotidianæ ac calidæ de fidei controuer-
sijs rixæ & decertationes erant. Cui bono?
docuere id toties frequentata cum insanis
illis hominibus colloquia, NVLLO. Vocatur
ad epulas ab urbis Governatore Pastor, &
Apostolum illum suum, canæ (caninæ dixe-
rim potius) sapientiæ virum affore insinuat.
Tergiversatur ille, & epulas inter de fidei
mysterijs audire verbum noluit. Accipit
conditionem Governator. Itum est, mensæ
accubitum, in capite datus Apostatæ locus.
Hic mox ille promissi immemor, os illud
ferreum & impudens aperit, ac miraculum
crepat. Notat merū mēdaciū Pastor, subiicit.

בצור לעדבך מדע ושפתך מדבר מדמה

Psal. 34.

v. 15.

Q 3

Custodi

in rebus
divinis
quasi
faciens.

Custodi linguā tuā à malo : & labia tua ne lo-
quātur dolū . Quid hic ille caninæ loquētiae
* *Ἰσοκράτης* ? Iscapha magis mutus : fortè pro
verbij memor (quod apud solūm Accurs.
legere memini , ad l. quoniam multi 21. C. de
heret. & manich.) Nil Hebraus Hebræo, nil Ca-
tilina. Cetego : quò vitio se omni carere ostē-
deret, qui in alterum virulentam ac maledi-
cam exertare linguā paratus esset. Non tulit
id Gubernator, obuersoquē ad Apostatam
vultu, An Hebræus es tu? Ibi ille, Intellico,
inquit, vbi opus est; non loquor. Quid istud
ergò ! inquiebat Gubernator. Nil ille
reposuit; nec etiā potuit : & quem Hebrai-
cæ, Græcæque linguarum petitum diuinū
verbi ministrum habuerant hætenus, im-
peritum experti sunt. Sic res ea in risum
abiit, bonā pastoris famā, apostatæ infā-
miā.

Alterum adnectam, quod huc propius
facit; quodq; ab eodem, dum viueret, accē-
pi. De loco Biblico ex Genesi tertio capite
contentio erat. Verba recitabo, & quid pro
Hebraica veritate (à qua si vel latum vn-
guē abeas, piacularis apud sectarios nostros
eris vix expiandus) quid item pro vulgata e-
ditione dici possit, paucis proponam : Et ini-
micitiam ponam inter te, & inter mulierem, &
inter

inter semē tuū & inter semen eius: ipsum (sic Hebraica hodie habet veritas (הוּא יְשׁוּפֵךְ))
 conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum.
 D. Hierō. Quæst. in Genesin: Melius, inquit, habet in Hebræo: IPSE conteret caput tuum, & tu conteres eius calcaneum; quia & nostris gressus prapediuntur à colubro, & DOMINVS conteret Satanam sub pedibus nostris velociter. Eandem lectionē agnoscunt LXX. in quibus & ὁ υἱός, Paraphrastes Chaldæus, in quo רַב־אֱלֹהִים approbarunt eandem testimonio publico Parisienses anno 1569. Louanienses. 1571. Nec legi aliter posse contendit in Lexico Schindelerus, cum הוּא pronomen, ad זרעו semen eius, quod proximè antecedit, referri debeat. Quod si verum, frustra ad mulierem id retuleris, ac הוּא pro הוּא substitueris. Cum adiunctum quoque verbum יְשׁוּפֵךְ (quod masc. est generis) eidem repugnet. Notum enim vel è primis linguę elementis. nomen & verbum apud Hebræos genere conuenire. Ipsa tamen, (quæ vulgata & recepta in Ecclesia est lectio) legunt Latini fere omnes, Græci plurimi, Augustinus, Ambrosius, Gregorius, Rupertus, Chrylостomus, alijque, locis à Bellarm. lib. 2. de verbo Dei c. 12. citatis. Nec constans etiam ea Hebræorum est lectio, cum vidisse se librum affirmet Bellar. in quò הוּא disertè scriptū.

Ratio quoq; Schindeleri vacillat & infirma est: cum *אִשָּׁה* pronomen, ad affixum proximè præcedens, quod gen. *fæminini* est, referri queat. Postremò nec id rarum apud Hebræos, Nomina ac verba Genere disconuenire. Ut interim omittam, singulas lectiones à veritate non abire; siue *ipsa*, sc. mulier, *ipse* Dominus, *ipsum* semen legamus. Vel his, quæ in medium attuli, refelli optimè queat balbutiens Hebræus; imò qui vel sic balbutire sciat linguæ illius callentissimum refellet, si dogmatis controuerfi adstipulatores Patres habeat. Quid verò noster hîc tympano triba? è vulgata Bibliorû editione si contrà arma sumas; straminea ac ficulnea hominibus istis versio nostra. Quid ergò? ex eodè armamentario gladium sume, & facilè sic vel pumilus gigantem viceris. Rationibus primò Apostatam aggressus est pastor: at ratio hominem nulla mouit, rationis fortè omnis ac frõtis expertem. Hebraica, inquit, veritas à nobis stat. Purus hic ac limpidus fons est; riuuli inde ducti impuri ac turbidi: ac talis etiam editio illa vestra, quàm solum Pontifices authenticam voluerunt, ut vel sic fraus lateret, & fucum facerent. Quid hic reponeret bonus ille pastor? Ad fontem prouocat, & quem ferre secum solebat producit codicem, aperit, locum ipse quærit, ac legendum offert; nec opinante

quid

aded vt sexaginta variorum toto cœlo diffi-
dentium opiniones ex facili sit colligere.
Numerum hic etiam facere voluit Ioannes
quidam Campanus, campanæ homo super-
biz, qui vt vel sic imponeret, ac sacrilegium
tegeret, ex neglecto fôte natam omnem er-
roris ac superstitionis ansam pronuntiat.


*Apud
Guil. Lin-
dani
Respons.
ad Campa-
nam, pro
SS. Euch-
ristia. p. 12*

Fons, inquit, neglectus & vera dialectica omni-
bus hic errandi causa fuit. Fons, hoc est, Hebrai-
cum Matthæi Euangelium, habet HOC EST PE-
GER MEVM, quod vbique est cadauer siue corpus
mortuum. Hic quid repones, linguarum præ-
sidio omni destitutus? At verò suo ego hor-
minem gladio iugulo. Ac primò scire aueo,
quodnam illud Hebraicum Matthæi Euan-
gelium? scio Hebraicè Matthæum scripsisse:
illud etiam, editum Basileæ ac Lutetiæ He-
braicè Euangelium, Matthæi nomine, quod
tamen Matthæi esse cras credam, hodie ni-
hil. At in illo מָוֹתִי lego, quod & viuum &
mortuum corpus sonat. Quod si fortè Syriac-
um dicat (quæ lingua Matthæi auo verna-
cula, & Hebraica dicta) in illo מָוֹתִי quod
purum putum Hebraicum est, aut מָוֹתִי le-
go, Syriacè dialecto. At vana sunt, quæ Campa-
nus somniat, מָוֹתִי cadauer siue corpus mortuum
perpetuo & constanter denotare, vt vel sic
sacrilegâ impietate pronuntiare non eru-
bescat, Christi corpus, quod in cœlis viuum
est, in cœna Sacramentale esse, in terris mor-
uum.

tuum. Blasphemum est, sacrilege apostata,
quicquid ab ore isto tuo venit, & tuo te la-
queo capis: quippe בגר viuum etiam corpus
significare manifestissimum est; vel ex vni-
co illo Matthæi loco, *Nolite metuerere eos. qui
corpus occidunt.* Hic in Syro בגרא est. Quod
viuum procul dubio corpus denotat. Et
negare hoc, nisi insanus, potest nemo. Sex-
centa eiusmodi sunt alia, Auditores, quæ
thema istud nostrum solidè demon-
strent: at vt intra ternarium con-
sistam numerum tempus
& hora monet.


(††)


F I N I S.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]







153653


ULB Halle


3

007 107 803



VD 17





B.I.G.

Farbkarte #13

Quaestiones
QVODLIBETICAE
 TRES.
 I. DE
TOGA ET SAGO
 SIVE
 DE LITTERATA ET AR-
 MATA MILITIA.

II.
 DISSERTATIO:
*An aequum id Brabantinorum privilegium, siue sta-
 tutum, quo muneris publici habetur incapax
 quisquis extra eam natus?*

III.
*Qua commodior faciliorq; ad convincendos secta-
 rios nostros via, an non ea, qua proprio quis eos
 gladio iugulet, quoties vel ad Scripturam sacram,
 vel ad Patres, linguaq; concurrunt?*

HABITAE LOVANI
 In Quaestionibus, ut vocant, Quodlibeticis, XVII. Kal.
 Ianuarias, CL. LXXVIII. in Scholis
 Artium,

a VALERIO ANDREA, Desselio, Iureconsulto,
 Linguae Hebrae Professore publico.



COLONIAE, AGRIPPINAE,
 Apud Ioannem Kinckium, sub
 Monocerote. Anno M. DC. XVIII.